

Archives d'Anjou. Recueil de documents et mémoires inédits sur cette province publié sous les auspices du Conseil général de Maine et Loire, Cartae de Relliaco, Nr. 2

Nosse debitis si qui eritis posteris nostri, Majoris scilicet hujus habitatores monasterii sancti Martini, Airardum Praepositum teloneum et pedagium ex rebus nostris, per loca sui juris transeuntibus, olim sancto Martino et nobis, sub regimine nunc agentibus domni abbatis Alberti, pro anima sua donasse. Post cujus mortem cum honor ejus et filia in manus cujusdam Gausfredi, Pape Bovis cognomine, devenissent, coepit idem Gausfredus donum illius nobis calumniare et molestus existere. De qua re concordia habita, ad hoc tandem adductus est ut beneficium societatis nostrae cum uxore sua Marca, Airardi filia, et LX. tantum solidos a nobis pro hoc acciperet, et dimissa calumnia totum illud teloneum et pedagium, quod et terra et aqua de rebus nostris per loca suae potestatis transeuntibus exigere solebat, sancto Martino et nobis gratanter, sicut Airardus prius donaverat, auctorizaret; ob perpetuam ex utroque donationem, cum eadem uxore sua in capitulo nostro in nostram susceptus est societatem. Quod ut firmiter foret, auctoritate domini sui Gausfredi comitis, de cujus beneficio ista tenebat, postea firmatum est, in quo etiam capitulo juvenis quidam Algerius, Rainaldi Burdoli filius, qui cum ipsis advenerat, eorum auctoritate fecit nobis donationem de quarto denario ejusdem telonei et pedagii quem de illis tenebat. Ipsius et illorum donationis atque auctoramenti comitis testes qui interfuerunt isti sunt: Johannes Conversus, Acfredus de Castro Duno, Constantius Chainos, Berlandus famulus secretarii. De auctoramento comitis, quod super hoc castro Cainone factum est, sunt hii: Guillelmus vicecomes de Odenaco, Babinus senescalcus comitis, domnus abbas Albertus, Gauterius monachus bajulus ejus, Aimericus monachus de Insula, Tetbertus monachus et medicus, Ademarus monachus, Fulcodius prior qui comitem pro hoc interpellavit, Michael Rufus, Giraldus Muceolis, Ernaldus canonicus, Tendasius de Rupibus, Otgerius de Rilley, Hildebertus, Gausfredus, Guarnerius de Elemosina, Ascelinus Jotardus, Frotgerius mariscalcus.